



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De presbyteris villanis si in ciuitate offerre audeant. xliiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuum me ducetem in lege peccati, quae est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & pugnabat. Igitur legi mentis eius lex quae in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Itaque est homo, ut ita dixerim, captiuus & liber. Liber ex iustitia, captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

*De presbyteris villanis si in ciuitate offerre audeant. Cap. XLIIII.*

**P**resbyteri ruris in Ecclesia ciuitatis episcopo praesente, vel presbyteris vrbs ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt. *Ex cõcil. Neocaes. cap. 13.*

*De eadem re. Cap. XLV.*

**P**resbyteri qui conregionales non sunt, in Ecclesiis, praesentibus episcopis vel presbyteris ciuitatis, offerre non poterunt, nec panem dare, in oratione autem calicem dabunt. Quòd si absentes sunt ciuitatis sacerdotes, & fuerint inuitati in orationem, soli possunt dare. *Ex decre. Sotheris papa. ca. 13.*

*De illis qui per ebrietatem Eucharistiam euomerint. Cap. XLVI.*

**S**iquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomerit, XL. dies poeniteat: Clerici, vel monachi, seu diaconi, XL. dies poeniteant, presbyteri, LXX. dies, Episcopi, XC. Si pro infirmitatis causa euomerit, VII. dies poeniteat. *Ex poenitentiiali Bedae.*

*De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillauerit. Caput XLVII.*

**S**i verò per negligentiam de calice aliquid stillauerit in terram, linguabitur, tabula radetur. Si nõ fuerit tabula, ut non cõculcetur, locus corradetur, & in igne cõsumetur, & cinis intra altare recõdetur, & sacerdos quadraginta dies poeniteat. Si super altare stillauerit calix, forbeat minister stillam, & tres dies poeniteat. Si per linteum altaris ad aliud stilla peruenerit, quatuor dies poeniteat. Si usque tertium, nouem dies. Si usque quartum, quindecim dies: *Ex decre. Pij papa, cap. 3.*

S iiii